



PRECES
DE
PASSIONE
CHRISTI,
ET
DOLORIBUS
B. V. MARIÆ,
PER
QUADRAGESIMAM DEVOTE
RECITANDÆ.

ORATIO

*Ad lucrandas quotidianas Stationum
Indulgentias.*

Domine JESU Christe ! agnosco innumerabilia esse debita mea, quæ peccatis meis, de quibus amore tui vehementer doleo, hucusque contraxi: confiteor illa esse tanta, ut viribus meis satisfacere pro illis nunquam possim.

Quare offero tibi in debitam satisfactionem infinita merita vitæ, passionis, ac mortis Domini nostri JESU Christi: Beatæ & dolorosæ matris & Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, cum quorum meritis conjungo & unio has indignas preces meas.

Suscipe Domine ! pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam conservare & exaltare, & ex illa universas hæreses extirpare digneris. Suscipe etiam pro Regibus & Principibus Christianis, quibus pacem &

ve-

veram concordiam donare digneris. Denique pro omnibus fidelibus defunctis, quibus hodiernas, quas lucraturum me spero, applicare indulgentias, & requiem æternam donare digneris.

Hæc oro te mi JESU! per pretiosum tuum sanguinem, per sanctissima tua vulnera, per passionem crucem ac mortem tuam, qua nos redemisti & per dolores pretiosissimæ Matris tuæ, Amen.

*Subjunge ad præcedentem intentionem
septem Pater & Ave.*

Psalms 50.

Miserere mei DEUS: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quo-

Quoniam iniquitatem meam,
ego cognosco: & peccatum meum
contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum co-
ram te feci: ut justificeris in ser-
monibus tuis, & vincas, cum ju-
dicaris.

Ecce enim in iniquitatibus con-
ceptus sum: & in peccatis conce-
pit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti:
incerta, & occulta sapientiæ tuæ
manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, & mun-
dabor: lavabis me, & super ni-
vem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium,
& lætitiā: & exultabunt ossa
humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis
meis: & omnes iniquitates meas
dele.

Cor mundum crea in me,
DEUS! & spiritum rectum inno-
va in visceribus meis.

Ne

Ne projicias me a facie tua: & spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, DEUS, DEUS salutis meæ; & exultabit lingua mea justitiā tuam:

Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium DEO spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, DEUS, non despicies.

Benigne fac, Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta:

tunc

tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

Oremus.

REspice quæsumus Domine super familiam hanc, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

MODUS

Recitandi Rosarium B. M. V. cum mysteriis dolorosis.

Recitatur Symbolum Apostolorum, tum oratio Dominica, & tres Angelicæ salutationes, in quibus post verba: Ventris tui JESUS, additur

In prima: In quem credo.

In secunda: In quem spero.

In tertia: Quem amo super omnia,

Pet

Per reliquas Decades Rosarii in singulis Angelicis salutationibus post verba illa: Ventris tui JESUS, adduntur Passionis mysteria & quidem

In Decade Prima: Qui pro nobis sanguinem sudavit.

Secunda: Qui pro nobis flagellatus est.

Tertia: Qui pro nobis spinis coronatus est.

Quarta: Qui pro nobis crucem bajulavit.

Quinta: Qui pro nobis crucifixus est.

Sexta: Repetuntur singula mysteria per singulas salutationes.

